

**DE FRAGMENTI SUETONIANI  
DE GRAMMATICIS ET  
RHETORIBUS CODICUM  
NEXU ET FIDE**

Published @ 2017 Trieste Publishing Pty Ltd

ISBN 9780649145256

De fragmenti Suetoniani De grammaticis et rhetoribus codicum nexu et fide by Rodney Potter  
Robinson

Except for use in any review, the reproduction or utilisation of this work in whole or in part in any form by any electronic, mechanical or other means, now known or hereafter invented, including xerography, photocopying and recording, or in any information storage or retrieval system, is forbidden without the permission of the publisher, Trieste Publishing Pty Ltd, PO Box 1576 Collingwood, Victoria 3066 Australia.

All rights reserved.

Edited by Trieste Publishing Pty Ltd.  
Cover @ 2017

This book is sold subject to the condition that it shall not, by way of trade or otherwise, be lent, re-sold, hired out, or otherwise circulated without the publisher's prior consent in any form or binding or cover other than that in which it is published and without a similar condition including this condition being imposed on the subsequent purchaser.

[www.triestepublishing.com](http://www.triestepublishing.com)

**RODNEY POTTER ROBINSON**

**DE FRAGMENTI SUETONIANI  
DE GRAMMATICIS ET  
RHETORIBUS CODICUM  
NEXU ET FIDE**



De Fragmenti Suetoniani de Grammaticis et  
Rhetoribus Codicum Nexu et Fide

BY

RODNEY POTTER ROBINSON

A. B. University of Missouri, 1910

A. M. University of Missouri, 1911

---

THESIS

Submitted in Partial Fulfillment of the Requirements for the

Degree of

DOCTOR OF PHILOSOPHY

IN THE CLASSICS

IN

THE GRADUATE SCHOOL

OF THE

UNIVERSITY OF ILLINOIS

. 1920

INDEX CAPITVM

<b>Cap. I.</b>	In quo de codice Hersfeldensi atque de eius inuentione et inuentoribus disseritur.....	9-28
<b>Cap. II.</b>	In quo undeiginti codices qui aetatem tulerunt breuiter describuntur....	29-37
<b>Cap. III.</b>	De familiis X et Y. In quo duo Hersfeldensis codicis fuisse apographa X et Y, atque ex apographo X codices O W, ex apographo autem Y ceteri codices omnes profuixisse demonstrantur.....	38-94
	I. Lectiones peculiares utriusque familiae, nec non et singulorum codicum O W tabulis exhibentur.....	38-54
	II. Codices O W quodam opprobrio liberantur. Notabiliores codicis O lectiones breuiter tractantur.....	54-59
	III. Notabiliores familiae X atque codicis W lectiones ad Hersfeldensem librum restituendum tractantur. Quidam loci corrupti sanantur....	59-86
	IV. Lectiones quas codex N et secunda manus in G cum familia X communes habent exhibentur. Nonnullae corruptelae sanantur. Conspiratio inter familiam X et familiae Y singulas stirpes tractatur....	87-94
<b>Cap. IV.</b>	De familiae Y tribus stirpibus $\alpha$ $\beta$ $\gamma$ .....	95-186
	I. Quaedam discrepantiae inter familiae Y singulas stirpes ad lectiones duplices in Hersfeldensi codice referendae demonstrantur. Nonnullae corruptelae sanantur.....	95-103
	II. De stirpe $\alpha$ .....	103-116
	1. Lectiones huius stirpis nec non et codicis N propriae exhibentur....	103-109
	2. Codex aliquis deperditus $\nu$ inter codices G I et codicem $\alpha$ intercedere demonstratur.....	109-113
	3. Quaedam lectiones in N et G m. 2 e familia X profuixisse iudicantur	113-116
	III. De stirpe $\beta$ .....	116-141
	1. Lectiones stirpis $\beta$ propriae exhibentur.....	116-118
	2. Codicis B lectiones notabiliores exhibentur atque breuiter tractantur.....	118-122
	3. Codices D V L e communi archetypo deperdito $\lambda$ profuixisse demonstrantur.....	122-123
	4. Codex D et editio Florentina a. 1478 tractantur.....	124-128
	5. De codicibus V L et praecipue de correctoris manu in L disseritur.	128-138
	6. Stirps $\beta$ in propriis lectionibus leui esse auctoritate iudicatur....	138-141
	IV. De stirpe $\gamma$ .....	141-186
	1. Lectiones stirpis $\gamma$ propriae exhibentur. Duae corruptelae huius stirpis opera sanantur.....	141-147
	2. Codices M K e communi archetypo deperdito $\delta$ profuixisse demonstrantur.....	147-152
	3. Ceteri stirpis $\gamma$ codices e communi archetypo deperdito $\zeta$ ortus duocere probantur.....	152-156

4. Codices <b>H P U</b> e communi archetypo deperdito $\eta$ originem traxisse demonstrantur. Necessitudo inter codicem <b>H</b> et editionem quae <i>Incerta</i> uocatur excutitur. Nonnulla de codice <b>U</b> dicuntur. ....	156-166
5. Codices <b>C F <math>\Delta</math> Q</b> editio Veneta a. 1474 e communi archetypo deperdito $\theta$ ortus ducere probantur. ....	166-171
6. Inter codices <b>C F <math>\Delta</math></b> et $\theta$ archetypum deperditum $\epsilon$ ponendum demonstratur. ....	171-177
7. Codex <b>Q</b> et editio Veneta a. 1474 e communi archetypo deperdito $\mu$ profluxisse, librarius tamen <b>Q</b> duobus exemplaribus usus esse demonstratur. ....	177-182
8. Consensus inter stripes $\alpha$ et $\gamma$ tractatur. ....	182-186
Stemma ad nexum inter omnes codices demonstrandum exhibetur. ....	186
Cap. V. Quid uiri docti in Suetoni fragmento et <i>Dialogo</i> Taciteo recensendis de nostris codicibus adhuc iudicauerint. ....	187-193
Bibliographica. ....	194-195

## CAPVT I

### IN QVO DE CODICE HERSELDENSI ATQVE DE EIVS INVENTIONE ET INVENTORIBVS DISSERITVR

C. Suetoni Tranquilli fragmentum *De Grammaticis et Rhetoribus* inter renascentium litterarum aetatis homines primus qui nominatim commemoret Antonius Panormita Bononia mense Aprili<sup>1</sup> anni 1426 Guarino Veronensi haec scribens mihi innotuit: “. . . . . Praeterea est quod te non minori voluptate afficiat; sed omnino coenam parato, qua in re tu me non audis. Compertus est Cor. Tacitus de origine et situ Germanorum. Item eiusdem de vita Iulii Agricolae isque incipit: ‘Clarorum virorum facta’ caeterave. Quinetiam Sex. Iulii Frontonis de aquaeductibus qui in urbem Romam inducuntur; et est litteris aureis transcriptus. Item eiusdem Frontonis liber alter, qui in hunc modum incipitur: ‘Cum omnis res ab imperatore delegata mentionem exigit’ et caetera. Et inventus est quidam dyalogus de oratore et est, ut coniectamus, Cor. Taciti, atque is ita incipit: ‘Saepe ex me requirunt’ et caetera. Inter quos et liber Suetonii Tranquilli repertus de grammaticis et rhetoribus; huic incipit: ‘Grammatica Romae’. Hi et innumerabiles alii qui in manibus versantur, et praeterea alii fortasse qui in usu non sunt, uno in loco simul sunt; ii vero omnes, qui ob hominum ignaviam in desuetudinem abierant ibique sunt, cuidam mihi coniunctissimo dimittentur propediem, ab illo autem ad me proxime et de repente; tu secundo proximus eris, qui renatos sane illustrissimos habiturus sis. . . . .” De eisdem libris inuentis fama magis quidem exigua Guarini in aures Joannis Lamolae merito iam antea manauisse uidetur, ut ex illius uerbis in epistula ad eundem Lamolam Bononiae degentem die XXVI mensis Ianuarii eiusdem anni<sup>2</sup> 1426 scripta colligitur:<sup>3</sup> “. . . . . Quid nuntius renascentium virorum et in lucem prolatorum, quem mihi cum suauitate mirabili affers? O si Cornelium Tacitum ipsum, Plinii mei amicum socium collegam, spectare et coram affari detur! . . . .”

Ineunte igitur anno 1426 fama de Suetoni fragmento *De Grammaticis et Rhetoribus*, Taciti operibus minoribus, Frontini *De Aquaeductibus* nuper inuentis Bononiam perlata erat. Cuius de notitiae origine ad Francisci Poggi epistolam, quam Romae die III mensis Nouembris anni praecedentis

<sup>1</sup> Sabbadini, *Studi Italiani* VII p. 122 sq.; id. *Storia e Critica* p. 67 sq. Hanc epistolam, licet dies non sit appositus, Sabbadinus mensi Aprili anni 1426 fere certa ratione iudicat.

<sup>2</sup> De temporum ratione Sabbadinum ubique sequor.

<sup>3</sup> Sabbadini, *Stud. Ital.* VII p. 120; id. *Storia e Critica* p. 264.



(1425) ad amicum suum Nicolaum de Nicolis Florentinum dedit, regrediamur necesse est: <sup>4</sup> “. . . . . Quidam monachus amicus meus ex quodam monasterio Germaniae, qui olim a nobis recessit, ad me misit litteras, quas nudius quartus accepi; per quas scribit se reperisse aliqua volumina de nostris, quae permutare vellet cum Novella Ioannis Andreae vel tum Speculum Additionibus, et nomina librorum mittit interclusa. . . . Inter ea volumina est Iulius Frontinus et aliqua opera Cornelii Taciti nobis ignota: videbis inventarium et quaeres illa volumina legalia, si reperiri poterunt commodo pretio. Libri ponentur in Nurimberga, quo et deferri debent Speculum et Additiones, et exinde magna est facultas libros advehendi. Ut videbis per inventarium, haec est particula quaedam, nam multi alii restant; scribit enim in hunc modum: ‘Sicuti mihi supplicastis de notando poetas, ut ex his eligeretis qui vobis placerent, inveni multos e quibus collegi aliquos, quos in cedula hac inclusa reperietis’. . . . Romae die III novembris.”

Hac igitur ex epistula compertum habemus monachum quendam, e monasterio Hersfeldensi, ut ex sequentibus apparebit, Poggio inventarium quorundam librorum quos reppererat<sup>5</sup> misisse. Apographon autem huius inventari paulo post Bononiam expeditum esse videtur, ubi in Panormitae Lamolaeque manibus versaretur. Panormita etiam notitiam satis copiosam de libris, quorum descriptio hoc inventario continebatur, cum Guarino Veronensi communicavit, neque tamen de origine eius quicquam protulit, nisi fore ut illi libri cuidam sibi coniunctissimo propediem dimitterentur. Inuentari apographon, quo usus est Panormita, negligentis scriptum esse debebat, siquidem in illius epistula *Frontonis* pro *Frontini* et inter *Dialogi* verba incuntia *requirunt pro requiris* legimus. Post Panormitae epistolam ad Guarinum datam <sup>6</sup> interuallo anni plus intermisso monachus

<sup>4</sup> Poggii *Epist.* ed. Tonelli, Florentiae, 1832, I p. 168. Sabbadini, *Stor. e Crit.* p. 263; id. *Stud. Ital.* VII p. 119.

<sup>5</sup> Sabbadini opinio (*Stor. e Crit.* p. 273-4), cui Annibaldius (p. 77, adn. 2) suffragatus est, eosdem codices iam anno 1421 a Bartholomaeo de Capra Archiepiscopo Mediolanensi visos esse, instabili fundamento nititur, ut Wisowa (p. III) recte iudicavit. Quam opinionem ad confirmandam nihil est nisi Poggi verba *totus historicos* in epistula Londini die X mensis Iunii (1422) data.

<sup>6</sup> Tres epistolae a Poggio ad Nicolaum per hoc interuallum datae extant, quibus monachus Hersfeldensis laudatur. (1) Poggii *Epist.* ed. Ton. I p. 172, siue apud Michaelisium *Praefat.* p. XX: (Romae) d. 15 m. Dec. (a. 1425). “. . . ad amicum nostrum pro libris misi binas litteras et quidem diversis nuntiis, quin ordinavi ut, cum litterae essent in Nurimberga, deferrentur ad monasterium per aliquem qui responsum referret, et ad id pecuniam paravi, itaque quam primum spero nos scituros aliquid certius.” (2) Poggii *Epist.* ed. Ton. I p. 175, siue apud Michael. *Praefat.* p. XX: Romae V idus Febr. (a. 1426). “. . . ex Germania responsum est mihi litteras illas esse redditas, spero igitur me habiturum propediem litteras a monacho, et tum tecum omnia communicabo.” (3) Poggii *Epist.* ed. Ton. I p. 187, siue apud Michael. *Praefat.* p. XX: Romae noctu XVIII kal. Oct. (a. 1426). “. . . de libris Germanis nil dicam

Hersfeldensis Romam rediens alterum copiosius inuentarium secum appor-  
tauit. Hoc tamen inuentarium Poggium magna ex spe deiecit, quam ex  
monachi uerbis conceperat. Quae omnia alia epistula<sup>7</sup> a Poggio ad Nico-  
laum Romae data docet: "Dixeram Cosmo nostro, quemadmodum scri-  
bis, monachum illum Hersfeldensem dixisse cuidam se attulisse inuentarium,  
sicut ei scripseram, plurium voluminum secundum notam meam.  
Postmodum cum summa cura quaererem hunc hominem, venit ad me af-  
ferens inuentarium plenum verbis, re vacuum. Vir ille bonus, experts stu-  
diorum nostrorum, quicquid reperit ignotum sibi id et apud nos incognitum  
putauit. Itaque refersit illud libris quos habemus, qui sunt iidem de qui-  
bus alias cognovisti. Mitto autem ad te nunc partem inuentarii sui, in quo  
describitur uolumen illud Cornelii Taciti et aliorum quibus caremus; qui  
cum sint res quaedam parvulae, non satis magno sunt aestimandae. De-  
cidi ex maxima spe quam conceperam ex verbis suis. Ea extitit causa  
propter quam non magnopere curavi hoc ad te scribere; nam si quid egre-  
gium fuisset aut dignum Minerva nostra, non solum scripsissem sed ipse  
advolassem ut significarem. Hic monachus eget pecunia; ingressus sum  
sermonem subueniendi sibi, dummodo Ammianus Marcellinus, prima decas  
Titi Livii et unum uolumen orationum Tullii ex iis quae sunt apud nos  
communes et nonnulla alia opera, quae quamuis ea habeamus tamen non  
sunt negligenda, dentur mihi pro his pecuniis. Peto autem illa deferri  
eorum periculo usque Nurimbergam. Haec tracto, nescio quid concludam,  
omnia tamen a me scies postea. Romae XVI kal. iunii (1427)."

Poggium, cum ut Ammianus Marcellinus, Liui decas, Ciceronis ora-  
tionum uolumen aliaque haberentur, curam dedisset, pretiosioris illius  
Corneli Taciti uoluminis, quo ut infra apparebit Suetoni quoque *De Gram-  
maticis et Rhetoribus* continebatur, oblitum esse arguisse uidetur Nicolaus.  
Cuius dubitationes sequens Poggi epistula<sup>8</sup> ad eum tollere debuit: "Op-  
time suspicaris me cum obsignarem litteras oblitum esse illius inuentarii,  
cuius mentionem feceram in litteris. Nunc illud ad te mitto. Id autem  
male accipis quia, cum procurem ut habeamus decadem Livii et reliqua  
uolumina de quibus ad te scripsi, putes me omittere hoc uolumen quo maxi-  
me indigemus.<sup>9</sup> Id quidem imprimis est quod volo, quin mandavi isti

---

amplius nisi me non dormire more tuo sed vigilare. quod si quidam prout spero fidem ser-  
uarit, liber ad nos ueniet vel vi vel gratis. quin etiam dedi operam ut habeam inuentarium  
cuiusdam vetustissimi monasterii in Germania, ubi est ingens librorum copia; sed ne tu me  
molestes ista tua dicacitate nil amplius scies."

<sup>7</sup> Poggii *Epist.* ed. Ton. I p. 207 sq., siue apud Michaelisium, *Praefat.* p. XX, siue apud Sabbadinum, *Stud. Ital.* VII p. 127 et *Stor. e Crit.* p. 272.

<sup>8</sup> Poggii *Epist.* ed. Ton. I p. 210 sq., siue apud Michael. *Praefat.* p. XXI.

<sup>9</sup> Scilicet uolumen quo Taciti *Germania, Agricola, Dialogus*, Suetoni reliquiae contine-  
bantur.

monacho ut vel ipse secum deferret (nam credit se rediturum brevi) vel per alium monachum curaret deferendum; alios iussi Norimbergam, hunc vero Romam proficisci recta via, et ita se facturum recepit. Romae pridie kal. Iun. (a. 1427)." Mense Septembri eiusdem anni (1427) Poggius *Cornelium Tacitum* adhuc expectabat: "De Cornelio Tacito qui est in Germania nil sentio; expecto responsum ab illo monacho.... Omissi hanc curam librorum absentium et ad eos qui adsunt nobis animum converti; nam nil audio praeter fabulas."<sup>10</sup> Quin etiam anno fere post Poggius nihil noui perceperat et de libris Taciteis conquirendis paene desperasse uidetur: "... Cornelius Tacitus silet inter Germanos neque quicquam exinde noui percepi de eius operibus."<sup>11</sup>

Denique insequente anno (1429) monachus Romam iterum rediit et sine libro, ut Poggius in epistula Romae die XXVI mensis Februarii ad Nicolaum data queritur: "... Monachus Hersfeldensis venit absque libro multumque est a me increpatus ob eam causam. Asseveravit se cito rediturum (nam litigat nomine monasterii) et portaturum librum. Rogavit me multa: dixi me nil facturum nisi librum haberemus. Ideo spero et illum nos habituros, quia eget favore nostro."<sup>12</sup>

De hoc codice Hersfeldensi nil amplius in Poggi epistulis reperitur. Quamuis Poggius de uolumine Taciteo conquirendo desperasse uideatur, Nicolaus de Nicolis duobus annis post his aliisque opusculis habendis negotium dedit. Ineunte anno 1431 Iulianus Caesarini cardinalis Sancti Angeli comitante secretario Lucio Spoletino legatus pontificalis ad expeditionem contra Hussitos instituendam in Germaniam profectus est.<sup>13</sup> Item Nicolaus Albergati Sanctae Crucis cardinalis, comitante secretario Thoma Parentucellio, qui postea pontifex maximus Nicolaus V creatus est, legatus pontificalis in Galliam est missus.<sup>14</sup> Duobus autem cardinalibus profectoris indicem librorum conquirendorum dedit Nicolaus de Nicolis, quod Ambrosius Trauersarius quadam epistula<sup>15</sup> ad eundem Nicolaum id temporis peregre degentem<sup>16</sup> Florentiae die VIII mensis Iulii (a. 1431) data com-

<sup>10</sup> Data Romae V kal. Oct. a. 1427. Poggii *Epist.* ed. Ton. I p. 213, siue apud Michael. *Praefat.* p. XXI.

<sup>11</sup> Data Romae die XI m. Sept. a. 1428. Poggii *Epist.* ed. Ton. I p. 218, siue Michael. *Praefat.* p. XXI.

<sup>12</sup> Poggii *Epist.* ed. Ton. I p. 268, siue Michael. *Praefat.* p. XXII.

<sup>13</sup> Sabbadini, *Storia e Critica* p. 3. Bulla pontificis maximi Martini V hoc negotium cardinali Iuliano confidentis die XI mensis Ianuarii a. 1431 est data. Mense Martio eiusdem anni Norimbergam iam peruentum erat.

<sup>14</sup> Sabbadini, *Storia e Critica* p. 3. Fantuzzi, *Scrittori Bolognesi* I 120. Bulla pontificis maximi Eugeni IV potestatem huius legationis facientis die XXVIII mensis Aprilis a. 1431 data est.

<sup>15</sup> Traversarii *Epist.* ed. Petrus Cannetus VIII 2 p. 353, siue apud Sabbadinum, *Storia e Critica* p. 2.

<sup>16</sup> Vide Sabbadini, *Stor. e Crit.* p. 3.